

Disquisitionum practicarum gymnasma trigesimum- qvintum, ea, qvae virtutis s...

Wanochius, Andreas Jacobi,

11 Ae 8:o



National Library
of Sweden

N.º 10
IN NOMINE IESU

DISQVIVISIONUM
PRACTICARUM

ΓΥΜΝΑΣΜΑ TRIGESIMUM-QUINTUM,

Ea, quæ VIRTUTIS sunt HEROICÆ,
καθολικευασιμῶς, & ἀνασκευαστικῶς eluci-
dans, usque quo ἀξιωματικὰ ad calcem
nectat, quæ discursum obfignant;

Consensu Ampliff. FAC. PHIL. in Regia cele-
berrimaque ad AURAM Academia, ad publi-
cam Doctorum censuram propositum,

PRÆSIDE

M. ANDR. WANOCHIO,

Phil. Pract. & Hist. Prof. Ord.

Respondente

SACRÆ REGIÆ MAJ. Alumno,

DN. ERNESTO GESTRINIO,

Nylando.

Ad diem volente DEO, Februarii,
Anni Salutis M DC XCI.

In Auditorio Superiori.

Impr. apud JOHANNEM WALLIUM,



Reverendissimo in CHRISTO
Patri ac Domino,

DN. P E T R O

B ù R G /

S. S. Theol. Doctori
Celeberrimo, inclytæ Dicecesios
Wiburgensis EPISCOPO Emi-
nentissimo, Consistorii in eadem
PRÆSIDI Gravissimo, Regii
quoque Gymnasii EPHORO
summo,

MECOENATI & DOMINO
meo,

devotissimo mentis obsequio æter-
num suspiciendo,

SALUTEM, ANNOS, FATA PROSPERA!!!



*Adm. Reverendo & Excellentis-
simo Domino,*

**M. PETRO CAR-
STENIO,**

S. S. Theol. in dicto Gymnasio LECTORI
Primario, maxime claro, Diœcesis
ejusdem ARCHI-PRÆPOSITO gravissimo,
Templi Cathedralis PASTORI, atque
Consistorii Seniori æquis-
simo :

Cæteris pariter

Florentissimi istius Gymnasii

LECTORIBUS,

VIRIS plurimum Reverendis, Præcel-
lentissimis & Doctissimis:

DOMINIS & PATRONIS

Magnis,

nunquam non piè ac submissè
colendis,

LONGAM ATQVE FELICEM VITAM!!

Ut &

*Veneranda annorum multitudine, Dignita-
tis gravitate, scientiarum & pietatis lau-
de inclytis, atque conspicuis DOMINIS,*

M. JOHANNI GRAU

*Præposito in Rymmenå Gårds Säkni dignif-
simo, Paroeciarum Pyttens & Elundöns
Pastori meritissimo.*

DN. JOHANNI ALBOGIO,

*per totam Nylandiam Præposito gravissimo,
& Borgoënsium Pastori multum reverendo.*

DN. ANDRÆ STRENGI

*Pastori in Sibbo maxime pio atque di-
gnissimo.*

DN. FABIANO GUDZEO,

*Pastori Ecclesie, quæ in Lapredå Deo colli-
gitur, fidelissimo atque circumspecto.*

DN. SVENONI BRENNERO,

*In Paroecia Esboënsi Pastori dexterimo ac
vigilantissimo.*

DN. NICOLAO GESTRINIO,

Pastori in Cuhmois legitime designato.

PROMOTORIBUS, EVERGETIS NEC NON FAUTORIBUS.

*veneratione, qua unquam potest fieri, sem-
per nominandis,*

*Placidam senectam, dulcem requiem, suavif-
sima Sacrosancta Triados solatia !!!*

EMINENTISSIME PRÆSUL,
PATRONI MAGNI!

Ex quo literis delectari mea incepit egestas,
primo, antequam primitias studiorum de-
gustaverit, in hoc unice ferebatur istius ata-
zule tenuissimus & plusquam vilissimus mo-
dus, ut reverentiam præberet iis, per quos se
non modo sustentaret, verum etiam, si ita san-
xisset lex Altissimi, augetetur & incremen-
tum sumeret quæcunque; in societatem vero,
cui jam adheret, assumptus, re ipsa demon-
strandi, quod tacite olim promiserat, insatia-
bili tenebatur desiderio, & id quidem devo-
tissima exercitii cujusdam Academici inscri-
ptione. Ast prevalentior comes pauperies, af-
siduitate sua salubriter destinata misere dis-
cussit, adeo, ut voluntati quoque, dominii alio-
quin nescia, vim visa fuerit inferre: tanta
enim fuerat in me semper ejus asperitas, tam
immites extiterant vices, ut, ni spes meliora
svasisset, quam divinarum suggestit medita-
tio, actum de mea hærente salute, qua heic
expectatur, jam dudum putarim. Assurgunt
namque alii, & egregiam navant operam, pau-
per ubique jacet: quod adspicientes miseri, cum
optime quidem ferre deberent, natura tamen
morta-

mortalium vel hoc nomine oderunt, quia displicere ipsis sua vult tam diu duratura miseria. In hoc vero rerum articulo animum nondum despondebam, quin tantis malis, si alias mala, & non potius planè paterne Dei castigationes, dicenda, audentior irem obviam. Quod cum venerabundus feci, validissimum hoc sibi stare fundamentum video: Novisse nempe DEUM quisunt sui. Et jam quoque effati vim expertus sum, dum per Altissimi clementiam invenisse me existimo viam, qua modicis itineribus ambulem, devotissima mentis meae obsequia, incolumitatis meae premia, cum præter hæc habeam nihil, Tibi, O Reverendissime in Christo Pater, & Vobis singulis, Patroni & Mecænates æternum colendi, exhibiturus. Vos enim estis, Vos, inquam, Maxime PRÆSUL, & ceteri virtutis artiumque Promotores magni, qui animum meum, imo, me totum Vobis ad officia inde jam a teneris ultro devinxistis, & materia fuistis uberrima, in qua exerceri potuerunt ista divine imaginis rudera, per quæ ut DEO, quantum nostra fert mortalitas, cultum, ita Ephoris, & qui Parentum titulo nobis veniunt appellandi, honorem adhibere, naturâ sumus edocti. Placeat itaque jam,

oro,

oro, & majorem in modum oro, placeat munus
hocce, opera Amplissimi Dn. Præfidis, Pa-
troni & Nutriti mei per annum, & quod su-
perest, propensissimi, typis evulgatum, grata
mente adspicere; quod ideo in me voluit deri-
vari defendendum, ut Vobis illud, cen devotissimi
animi mei tessaram, offerrem, quo per cando-
rem vestrum de hoc in aliis olim non defatiger!
Sane vero scio, Tuam Reverendissimam Emi-
nentiam, Ephore summe, atq; Vos scientia-
rum laude incomparabiles, reverenda canitie
inchyos, & de vinea Christi, ac re literaria o-
ptime meritos, hoc, quicquid sit, quod tamen
minimum est, in compartione guttula vilissimi
humoris, a milite quodam Alexandro porrecta,
contemnere, cum ista victor fortassis indige-
ret: Vos vero hujus oblatione non latemini. Si
tamen voluntatem pietate erga vos pronam,
cum desint vires, paterno vultu aspiciere digne-
mini, quin voti fuerim compos, haud subit du-
bitare. Quod impræsentiarum anxius petit

Tuæ Eminentissimæ Dignitatis,
& Vestrorum Admodum Reverendo-
rum, Excellentiss. Doctiss. Nominum,

humilimus cultor
ERNESTUS GESTRINIUS.

SACRÆ REG. MAJESTATIS,
In Universitate Aboënsi,
Beneficiario,
Pio, Modesto, Literato,
Viro Juveni Præstantissimo,
DN. ERNESTO GESTRINIO,
De VIRTUTE HEROICA
sobrie disputanti;

Prisca superstitio dixit *Nus*
menq; *DEamque,*
Excelso quisquis pectore
clarus erat:
Nos *Heroes* & alma DEI sapientis
ab alto
Dona vocamus eos; nam DEUS
esse nequit
Mortalis. Mortale genus GESTRINIUS
esse
Hos docet, & tandem præmia
magna feret.

ANDR. WANNOCHIUS.

CAP. XIX.

DE VIRTUTE HEROICA,

SECTIO I. καθ' ἀνθρωπίνην.

§. I.

Optime quidem Aristoteles in lib. VII. Eth. & alibi tradit, Virtutem aliam esse καθ' ἀνθρώπων, aliam ὑπὲρ ἀνθρώπων; hoc est, aliam esse humanam, aliam divinam: illa humanis viribus est proportionata & parabilis; hæc improporcionata: illa audit ordinaria; hæc vero extraordinaria. Scilicet cum Virtutem illam καθ' ἀνθρώπων & ordinariam, secundum receptam ab Ethicis quam plurimis methodum, taliter qualiter usque huc exposuerimus; conveniens est, ut eam, quæ est & audit ὑπὲρ ἀνθρώπων, divina, heroica, & extraordinaria, jam evolvamur; idque compendio.

§. II.

Virtutem Heroicam variis ornant Scriptores sive Descriptionibus sive Definitionibus. M. Christoph. Prætorius hanc dat, justo fustiore: Virtus Heroica est habitus animi moralis, non tam humana industria,

quam divinitus quibusdam facultatibus concessis comparatus, voluntatem, appetitum, atq; affectus supra communem hominum sortem, ad perfectissimum summi Boni gradum elevans, actionesq; eminentes ardentissimo impetu, gloriosissima constantia, & felicissimo successu edens. Joh. Geilfusius vero Eth. Exempl. c. XVI. talem exhibet: *Heroica Virtus est habitus, quo homines tales obeunt actiones, qua communem sortem excedunt.* Nos cum Dn. D. Rudrauffio sic definimus: **VIRTUS HEROICA** est virtus eminentior, hominem extraordinario impetu, ultra sortem communem elevans. Aliis aliorum definitionibus, citra necessitatem accumulandis, hic immorari nihil attinet. Id tamen obiter notasse non pœnitet, quod partes Virtutis Heroicæ essentielles, a *Πρετοριο κατὰ λέξιν*, ab aliis vero ad minimum κατὰ διάνοιαν positæ, sint tres: (α) *Impetus extraordinarius*, seu raptus Divinus, ad magni momenti res, magno animo conficiendas. (β) *Constantia summa*, qua nullis se absterret molestiis, difficultatibus, aut periculis patitur, nullisq; retardari impedi.

pedimentis. (γ) *Felicitas admiranda*, qua præter omnem hominum spem, e maximis difficultatibus fortissime eluctantur *Herões*, & metam felicissime attingunt. In quo igitur hæc tria non concurrunt, is culmen & fastigium *Herosea Virtutis* non satis attingisse creditur. Sed nos jam ad Definitionis ἀνάλυσιν.

§. III.

Ad *Definitum* quod attinet, spectanda se offerunt (I.) *Etymologia*, circa quam varie ludunt auctores. (α) Censuit *Plato* in *Cratylo*, *Herões* ab ἔρα, hoc est, ab amore, fuisse nuncupatos; ab amore autem, vel quia finxere veteres, eos oriri ex mutuo amore DEORUM & hominum; vel, ut *Hierocles* existimavit, quia sint demones amore flagrantes, qui homines in DEORUM amorem rapiant ac irritent: quod tamen sapit paganismum. (β) Potest etiam id nomen duci ab εἶπευ, quod est dicere; ut in eodem dialogo suspicatus est *Plato*: nam facundi rhetores, argutique sophistæ, iudicati fuerunt olim *heroica proles*, ceterorumque hominum *Duces* atque *Principes*. Nec (γ) defuere, qui a voce Ἥρα, hoc est, *Junone*, diētos putarint; ut *D. Augustinus*

in lib. X. de Civ. Dei c. 21. Ratio est, quia
 aëy Junoni dicatus est a gentilibus, in quo
 fingitur, heros cum dæmonibus habita-
 re. (d) Nonnulli ab ἔρας, h. e. terra, di-
 ctos censent; quasi terreni Dii sint; vel κατ'
 ἀντιφασιν, quod minime terreni sint, sed
 supra communem hominum sortem elevati.
 Sic Lucianus heröem definit, ὅς μήτε θεός,
 μήτε ἀνθρώπος, ἀλλὰ σωμαφόρον ἐστίν.
 (ε) Quidam ἀπὸ τῆς ἀρεῖας, a seligen-
 do, quia sint selectissimi mortalium. (ς)
 Vel ab ἀέρι, aëre, quia animæ Heroum
 post dissolutionem, in aëre habitare cum An-
 gelis, ad compensationem virtutis olim ex-
 ercitæ, credebantur. Denique (η) ἀπὸ
 τῆς ἀρεῖης, virtute, qua Heroes antecel-
 lunt præ omnibus. Hac de re procul du-
 bio certi reddi non possumus: rationi ta-
 men apprimè consentaneum est, inventores
 hujus nominis respexisse ad virtutem & a-
 morem, flagransqve desiderium honesti &
 divinæ conditionis. (II.) *Homonymia.*
Virtus Heroica accipitur (α) Latissime,
 pro quacunque cujuscunque artis excellen-
 tia: ita Heroës appellantur artifices, Mu-
 sici, Pictores, ceteriqve, quotquot in suo,
 quod

quod ajunt, genere sunt Roscii. (β) *Lare*, pro excellenti virtute; vel *moralis*, ut sunt *Magnificentia* & *Magnanimitas*; vel *intellectualis*, ut *Sapientia*; vel *spirituali*, ut ut *Fides* &c. (γ) *Adæquate* & propriissime, pro admiranda & plane divina v. g. *Fortitudine*, sive bellica, sive civili, sive spirituali. Illam vero acceptionem non moramur, quæ est κατὰ χριστικὴν, quando videlicet *tyranni*, *plebei*, *ruffici*, *heroës*, sensu nimis liberali, salutantur. (III.) *Synonymia*. Appellatur hæc virtus alias *Divina*; non ratione *subjecti* & *materialiter*; sed ratione *principii* & *causaliter*. Vocatur Aristoteli Virtus *ἡ ἀρετὴ αἰσθητικὴ* quod nomen est *ἡ ἀρετὴ αἰσθητικὴ*. Alia Synonyma sunt minus frequentata.

§. IV.

Definitio (I.) *Genus* est *Virtus*; quia *Virtuti Heroicæ* convenit *Virtutis definitio*, *Virtutis objectum*, *virtutis subjectum*, *proprietates* & *adjuncta*: imo, collocatur inter duo extrema, *Feritatem*, & *summam Ignaviam*. *Virtus*, inquam, est *genus*, & quidem sine addito posita, ut præscindata *moralis*, *intellectualis*, & *spirituali*; non obstante, quod virtus heroica sit potissimum

mum splendore virtutum moralium, in quibus refulgere difficilius natum est, & magis supra hominis vires positum: unde Heroës *semides* vocati, quod ex divina & humana natura viderentur conflati, & res gestisse humanis viribus majores: ita Hesiodus dicit, ἀνδρῶν ἡρώων γένος οἱ καλέονται ἡμίθεοι. Dicitur autem Virtus eminentior, ad indicandam heroicæ Virtutis præ communi sublimitatem. Sic fides *Abrahami*, *Salemonis* sapientia, fortitudo *Eustavi Adolphi Magni*, CAROLI XI. Regum Sveciæ, Justitia *Aristidis* &c. sunt fides heroica, sapientia heroica, fortitudo heroica, justitia heroica: quamvis Virtus heroica præprimis dicatur conspicua per *Fortitudinem, Magnanimitatem & Temperantiam* (II.) Differentia petita est (α) a subiecto, homine. (β) A causa efficiente, DEO, qui impetu quodam extraordinario armat Heroas ad facinora inimitabilia; elevatque eos supra vulgarem hominum conditionem; quibus verbis (γ) Effectus indigitatur. Exempla virtutis heroicæ, tam sacra, quam profana, passim sunt obvia.

S. V.

Extrema Virtutis Heroicæ sunt duo; Defecti-

festivum, & Excessivum; illud Summa Ignavia; hoc Ferritas audit. IGNAVIA est vitium, quo quis ad omnem virtutis impetum est plane inhabilis. Hoc vitii apud Sybaritas perhibetur fuisse frequentissimum, quippe qui legem ferebant: Nemo nostrum frugi esto. Quocirca Suidas illorum civitatem appellat πονερόπολιν. Ita Abderitanis natura peculiarem fuisse mentis stuporem indicat alicubi M. Tullius; adeo, ut Proverbio locum paratit: Abderitica mens. Et, Abderitana pectora plebis habet; de quovis ignavo. FERRITAS est vitium inter alia summum, quo homo excusso rectæ rationis iudicio, omniq; humanitate abjecta, in cæno omnis libidinis instar belluæ se volutat, & omnem conscientiæ sensum, ac intelligentiæ radium, per diuturnam peccandi consuetudinem, obducto callo, explodit suffocatqve. De quibus forte Apostolus Eph. IV. 19. Quis dolentes semet ipsos tradiderunt impudicitia, in operationem immunditiæ omnis, ἐν ἀλεονεξίᾳ, in excessu; ut reddit Arias M. Vitium hoc μερότησιν potest ambulare per omnes vitiorum species, ut v. g. Temperantiæ heroicæ, opponi queat ferina vel

belluina intemperantia; & sic de ceteris.
Talis feritas in Romanis Pontificibus per
quam multis est coespiciua, qui publica
Romæ lupanaria tutantur & permittunt,
inque filicum suum annuatim ultra tria mil-
lia coronatorum lactis censu a clericis scort-
isque accipiunt. Unde recte cecinit
Mantuanus:

- - *Roma est jam tota lupanar.*

Omnes autem salacitate & feritate Pon-
tifices superavit *Alexander VI.* qui cum
propria filia incestum commisit, eandem-
que filio suo *Borgiae* conjugem dedit. In
cujus *Alexandri* honorem *Sannazarius*,
Poëta Neapolitanus, tale epitaphium con-
scripsit:

Nomen Alexandri ne te fortasse moretur.

Hospes abi: jacet hic scelus & vitium.

In filia *Lucretia* honorem tale concin-
navit epicedium:

*Hoc jacet in tumulo Lucretia nomine, sed ve-
tibus: Pontificis filia, sponsa, nurus.*

Insigne *Feritatis* exemplum est *Hatto* Epi-
scopus *Moguntinus*, qui circa annum *CHR.*
970. Pauperes ad se venientes in horreum
inclusos omnes crudelissime cremavisse
fertur, illudens eis dicendo: *vosem audite.*

murium.

murium; qui tamen & ipse pœnas feritatis suæ luit diſtento convenientes. Huc referunt crudelitatem *Phalaridis*, candenti tauro æneo homines cruciantis: *Herodis* in innocentes pueros ſævientis. Sic reverentia auribus, ſi *Heliogabalus* in exemplum beſtialitatis hic introducitur, qui nudas puellas ſibi prandenti & ecœnanti miniſtrantes conſtituit, tantamque habuit pellicum multitudine, ut (ſicut *Neron* nunquam unam veſtem bis induit, autore *Svetonio* in *Nerone*) earum nullam reſteratit. *Ælian. Lamprid. in vita Heliogabali*. Tres monſtrum illud habuit uxores, quas tamen omnes novarum libidinum pruritu dimiſit. Tandem ſupri cupiditatem, quam aſſequi naturæ defectu non poterat, in ſe convertens, muliebri nomine ſe appellari juſſit, urbe tota obſcœniſſimos inq̄rens, qui cum eo libidines exercerent. Cum vero fuerit *Caſſiani Caracalla* ex inceſtuoſo, ut maxima *Hiſtoricorum* pars tradit, cum *Julia* concubitu filius, non adeo mirum, quod & ipſe talis exiſtiterit. *Κακὸν κὸς γὰρ κακὸν ὄνεται* mali corvi malum ovum. Non naſcitur ex malo bonum, inq̄vit *Seneca*, non ma-

gis quam ficus ex olea: ad semen nata respondent. Cum quibus congruit adagium Biblicum, quod exstat Ezech, XVI. 44.

כַּמֵּת כְּהַמָּתָהּ sicut mater filia ejus:
καθὼς ἡ μήτηρ, καὶ ἡ θυγάτηρ.

SECTIO II. ἀνασκευαστή.

QVÆST. I.

An una virtutis definitione contineatur Virtus Heroica & Communis? aff.

§. I.

Definitio virtutis secundum Aristotelem dicit mediocritatem ad nos relatam: secundum recentiores, conformitatem cum lege aeterna: Vendelino, constans animi propositum vivendi secundum legem. Quamcunque harum quis Heroicae Virtuti aptarit, non abluget a scopo: est enim illa suo modo mediocritas, conformitas cum lege, & tale propositum animi, quod virtuti est conveniens.

Obj. (a) Si definitione virtutis utraq; contineretur, Heroica & Communis, sequeretur Communem aequè perfectam esse, ac est Heroica. Atqui falsum consequens, E. & antecedens. Prob. Propositio: Generis Univoci species ex æquo naturam generis parti-

participant. *Assumptum patet*: quia Heroica longe perfectior & eminentior est Communi.

Resp. (α) κατὰ συγχώρησιν. Generis univoci species, ex æquo participant naturam Generis; sed inde resultat perfectio tantum communis & generica. (β) κατ' ἄρσιν, de participatione differentiae ac formali, unde resultat perfectio specifica. Brutum & homo æque sunt animalia; nec minus perfecte naturam animalis habet brutum, quam homo. Interim ratione formæ specificæ longe perfectior & excellentior est homo, quam brutum. (γ) Distinctio Virtutis in Communiem & Heroicam non est proprie Generis in species, sed potius *subjecti* per accidentia: perinde enim est, siue virtutem distingvas in Heroicam & Communiem, siue in excellentiorem, & minus excellentem; etiamsi heroica virtus κατ' ἐξοχήν excellens appelletur.

Obj. (β) Virtus Heroica non consistit in mediocritate. E. non continetur definitione Virtutis, quam Aristoteles vocat μεσότηα. Antecedens patet: quia virtus Heroica transcendit mediocritatem, & tendit ad excellentiam.

Resp

Resp. (α) κατὰ συχώρησιν, virtutem heroicam tendere ad excellentiam. (β) κατὰ ἀγνησιν, quod illa non transcendat mediocritatem: nam *Extremitas* est vel *intra* virtutes, vel *extra* virtutis lineam. *Præ-* *xi* modo extremitas non opponitur mediocritati, sed subordinatur, estque nihil aliud, quam summus & excellentissimus in mediocritate gradus. *Posteriori* autem modo extremitas est in linea mediocritati opposita, notatque excessum & vitiositatem. Verbo: Virtus Heroica est *extremitas* ratione gradus, est & *mediocritas* ratione speciei. (γ) Virtus Heroica *absolute* considerata est mediocritas; *relate* vero & *comparate* extremitas.

Obj. (γ) Virtus moralis in genere habet pro forma conformitatem cum lege æterna & natura. Heroica non habet. & eadem cum illa definitione non continetur.

Major est in confesso. Minor probatur, quia nulla plane est lex, quæ expresse nos obliget ad virtutem heroicam: alias omnes teneremur esse heroes.

Resp. (α) συχώρητικῶς ad maiorem. (β) ἀγνητικῶς ad assumptum: neque probatio est conveniens: deberet enim evincere,

tere, virtutem heroicam non esse conformitatem cum lege; at dicit, nullam esse legem, quæ nos obliget ad virtutem heroicam; quod est ἀναπόδιονον. (γ) Sed & illud, quod nulla lex nos obliget ad sectandam virtutem heroicam, cum grano salis capiendum; partim quia status hominis integer videtur requisivisse summam virtutum omnium ἀρετήν, quæ heroicæ, uti jam est, de facili respondere potuisset; partim, quia DEUS, justissimus donorum, in statu etiam hoc depravato dispensator, exigat ab iis heroicæ virtutis exercitium, quibus ejus exercendæ facultas est concessa.

QVÆST. II.

Utrum virtus Heroica DEum habeat pro Causa Efficiente principali? &, si hoc, an Virtus heroica sit referenda ad actiones DEI generales?

§. II.

Bimembris est quæstio: de utroque ergo membro distincte agendum. Quod ad primum, nempe, an Heroica Virtus a Comuni differat specie? tenendum, quod non. Argumentamur: Virtutes, quæ circa idem specie

specie objectum speciale actionibus tantum intensioribus & remissioribus occupata, eandem definitionem specialem admittunt. Specie non differunt, sed gradibus tantum. Atqui virtutes heroica & morales alia occupatae sunt circa idem specie objectum speciale, actionibus tantum intensioribus & remissioribus, eandemque specialem admittunt definitionem. Ergo non specie, sed gradibus tantum differunt. Propositio est extra controversiam. Assumptio etiam probatu est facilis: nam Temperantia heroica Josephi idem habuit objectum, cum temperantia Communi Spartanorum. Unde apud Spartanos adulter? Plutarch. in Lycurgo. Accedit, quod idem sit virtutis heroica & Communis subiectum immediatum, voluntas; idem finis, τὸ καλόν. Ergo, ubi eadem definitio, idem subiectum, idem objectum, idem finis; ibi specifica differentia gratis investigatur. At Thomam hic nobis obstrepentem 1. 2. & qv. LIV. a. 3. animadvertimus; ita enim ille:

Object. (a) Virtutes heroica & alia morales dirigunt ad actiones distinctarum naturarum. Ergo specie differunt.

Antecedens probatur. Quia virtus civilis disponit ad actiones humanae naturae: heroica

heroica ad actiones naturæ eminentiori congruentes.

Resp. (α) *Antecedens* fallit cum sua probatione: nam utraque virtus dirigit actiones unius naturæ, nempe humanæ, quamvis diversimode; *Communi* ad actiones communes & ordinarias; *Heroica* ad actiones eminentiores, extraordinarias, & heroicas. (β) *Virtus heroica* appellatur divina, non *subjective & formaliter*, sed *causaliter & effective*, cum denominatio debeat fieri a præstantiori. Quin & alia virtus appellatur divina, quemadmodum etiam summum Bonum e communi illa virtute enascens vocatur Θεόν.

Object. (β) *Liberalitas & Magnificencia* sunt virtutes Aristoteli distinctæ specie, quamvis in eadem versentur materia, & magnitudine ac parvitate tantum differant. Ergo etiam *Heroica & Communis* differunt specie, quamvis in eadem versentur materia, vel circa objectum specie idem.

Resp. (α) κατὰ συχώρησιν de Aristotele, cum hoc tamen addito, quod Aristoteles illic agat παχυλάς & vulgariter, de distinctione, quæ ex solis emergit accidentibus. (β) κατ' ἀρῆσιν, de distinctione spe-

Specifica. Hinc etiam liquet, quanta sit *Piccolominei* liberalitas, quæ dicitur etiam illa, suo licet modo, differre specie, quæ, non quidem quoad essentiam, sed quæ accidentia tantum distinguuntur. Specie differre, est formis & essentiis contradistinctis differre: at distinguvi accidentibus, est specie convenire, & conditionibus essentialiæ supervenientibus condistingvi.

Object. (γ) *Feritas, Virtuti heroicæ opposita, est specie distincta a vitio, virtuti Communi opposito. E. & ipsa virtus heroica a virtute communi.*

Prob. *Antecedens*: Ut se habet fera, unde feritas est dicta, ad hominem, ita feritas ad vitium morale: at fera & homo distinguuntur specie. Ergo feritas & vitium morale distinguuntur ita: quia feritate exploditur ratio, per vitium vero tantum intervertitur. *Ratio Consequentia* est, quia habitus privationum specie differentium etiam differunt specie.

Resp. (α) *Omnia sunt à σούσαλα. Antecedens fallit: probatio est inconsequens. Fera capitur vel proprie, pro animali irrationali; & sic feritas, ut est oppositum virtutis heroicæ, tantum est tropica: vel improprie*

proprie & κατ' ἐξουσίαν, quatenus aliquam accidentalem (non essentialem) cum bellua dicit convenientiam, salvis interim manentibus utrobique essentialibus. (β)
Notum est, quod argumenta a *Notatione* petita sint ordinis inferioris.

S. III.

Quantum ad membrum *Questionis posterioris* scilicet, *An virtus heroica sit referenda ad actiones DEI generales, an vero speciales?* Heiderus Eth. p. 405. distinguit inter Virtutes heroicas *Piorum*, quales *Abraham, Moses, Iosua, Simson, David, Salomon*, alii; & *Gentilium*, ut est *Alexandri M. fortitudo, Cesaris clementia, iustitia Minois*. De illis statuit, quod referendæ sint ad actiones DEI *speciales*; quod utriusque sic habendum. De his vero, puta virtutibus *Gentilium*, censet, quod ad actiones DEI *Universales* debeant referri, easque non *ordinarias*, ut vocat, sed *extraordinarias* & infrequentes. Sed ambagibus in re per se clara non est opus. Omnino dicendum erit, actiones *Gentilium* heroicas agnoscere *specialem* DEI concursus, modumque influentiæ plane peculiarem, cum alias concursus ille foret consimilis

influentiæ, qua communiter ad hominis
 cujusvis gregarii actiones coinfluit; quod
 tamen absurdum esset dixisse. Quis ausit
 dicere, *Cyrum* generali tantum DEI con-
 cursu excitatum ad molienda illa, quæ mo-
 lieus erat? cum & ipse DEUS appellet eum
 פֶּרַעַף *perficientem omnem delectationem*
suam. Esa. XLIV. 44. Quis *Alexandrum*
M., quis *Julium Cæsarem*, alios, influentiæ
 generalis auxilio tot tantaque in toto terra-
 rum orbe facinora, celerrimo impetu, fe-
 licissimo successu, perpetrasse dixerit? Quin
 & ipse concursus DEI *universalis extraor-*
dinarius, a B. Heidero adsertus, nihil di-
 cit aliud, quam influentiam *specialem*:
 Verba diversa, *cera eadem*: ἐν ἑνὲν.

Object. *At actiones DEI speciales ad so-*
lam pertinent Ecclesiam, & ad pios homines,
DEIq; electos. E.

Resp. Negatur hoc: quia judicia DEI
 specialia & singularia excercentur non tan-
 tum erga fideles, sed & infideles: Sic
 speciali actione DEUS olim Reges infide-
 les ad populum Israëliticum, rebellem &
 idololatricum, puniendum armavit; quos
vocasse, & misisse ad iudiciorum suorum
 executionem dicitur. Vid. Esa. X. 5. 6. &
 XIII.

XIII. 3. 6. Hinc B. Augustinus de *Grat. & Lib. Arb. c. 20.* Scriptura divina, si diligenter inspicatur, ostendit, non solum bonas hominum voluntates, quas ipse facit ex malo, & a se factas bonas, in actus bonos, & in aeternam dirigit vitam: verum etiam illas, quae conservant saeculi naturam, ita in DEI esse potestate, ut eas, quo voluerit, quando voluerit, faciat inclinari, vel ad beneficia quibusdam praestanda, vel ad poenas quibusdam ingerendas, sicut ipse iudicat, occultissimo quidem iudicio, sed sine dubitatione justissimo. Audiamus aequilam saeculi hujus Theologorum, B. D. Hulsemannum *Extens. Brev. c. IV. thes. 8.* de hac re differentem: Motus liberi, inquit, causarum secundarum in actionibus civiliter bonis, & subjectis irrogenitis, producantur a DEO; non solum per modum principii & concursus communis, ut in naturalibus; sed etiam per modum suggestionis externae per objecta sensibilia, & nonnunquam per suggestiones honestarum cogitationum, resultantium ex objectis propositis; denique per collationem virium ad electionem & exercitia rei honestae necessariorum, Quae tamen & ipsa Divina

actio in gentilibus recipit magis & minus.
Rom. I. 20. 32. & II. 4. 15. *Hac ille.*

QVÆST. III.

Quæ causa, quod Heroes olim appel-
lati Semidei?

§. IV.

Lucianus cujus, in antecedentibus etiam
facta est mentio, Heroem definit, ἕξ ἀν-
θρώπων καὶ θεῶν σύνθετον, quoddam ex ho-
mine & DEO compositum. Occasio vero
huius opinionis erat, quod homines excelsa
indole & præclaris facinoribus famosi, vi-
debantur magis adscendisse ad DEI simili-
tudinem, quam ad humanæ conditionis in-
firmitatem descendisse. Nata hinc fabula
de ortu Heroum, quos ex DEorum cum
hominibus consuetudine natos finxerunt
Poëtæ, mediosque statuerunt inter DEOS
& homines. Invalescente tandem super-
stitione, accessit Heroum θεοθεωσις; ad-
eo, ut quotquot vel rebus excellenter ge-
ssis, vel inventis, vel dignitate, vel funda-
tione gentium, vel sapientia fuerunt illu-
stres, Diu facti sint nuncupativi πλωάνυ-
μοι. Et relatis his ad astra, communis illis
cum astris fuit nomenclatura, communis
cul.

cultus; quemadmodum de *Solū Lunaque* culu Job. XXXI. 26. 27 *Planetarum*, reliquorum *siderum*, & aliqve totius apothecosi, Deut. IV. 19. Jer. VIII. constat. *Semidei* autem appellati videntur, quod, uti Plato habet in *Cratylō*, credebantur oriundi ex amore Deorum erga humanas mulieres, vel virorum erga Deas. Hoc est in sensu orthodoxo *Semidei* dicuntur non proprie, sed tropice.

QUÆST. IV.

Utrum Virtus heroica cadat etiam in fœminas? & illegitimos, seu spurios?

S. V.

Non pauci fuerunt olim inventi, qui sexum muliebrem infra humanæ sortis conditionem deprefferunt, adeoque virtute omni, ejusque capacitate spoliarunt; juxta vero fœminas onerarunt variis disteriis, in DEum creatorem blasphemis, & speciem humanam injustis. Imo & Aristoteles 1. Pol. I. c. 4. videtur adseruisse, *Virtutem hanc heroicam nulla ratione esse virtutem mulierum*. At contraria istī sententia vera est; quæ probatur: (a) Quia virtus *Communis*, quæ tamen quæ essentiam & rationem speciei cum *heroica*

coincidit, cadit in feminas; quod negare, esset in sole caligare: quidnietiam Virtus heroica? (3) Quia Virtutis heroicæ *oppositum*, tam excessivum, quam defectivum, cadit in feminas, quod abunde loquuntur historiz: cur ergo non ipsa Virtus heroica? (4) Liqueet Virtutem heroicam communem esse Viris & feminis. Hic autem compendio utentes, quasdam modo nominamus *Heroínas*: *Deboram*, *Jaelem*, *Juditham*; quarum laudes in Sacris sunt decantatz. Ex profanis adjungimus *Amazones*, *Semiramidem*, *Amalefantam*, *Gothorum Reginam*, *Elisabetham Angliæ*, Videatur *Zwingerus* in Theatro. Hæc tamen capienda sunt ita, ut Virtus heroica frequentius dicatur cadere in Viros, & *ais In rō wōlū*: in feminas vero rarius, tanquam sexum sequiorem.

§. VI.

De illegitimis & notis multa sunt, cum in Sacris rum profanis, quæ illorum conditionem in statu civili & ecclesiastico elevant. Exempli loco heic saltim allegamus quædam Scripturæ loca: Deut. XXIII. 2. *Non ingredietur spurius in concionem Domini*: etiam *generatione decima non in-*

greditur sibi in ecclesiam DOMINI. Ubi nota, quod apud Talmud. vox **קִטְמָה** quæ in textu allegato Ebræo extat, dicitur quasi **קִי מַמְעָה**, macula aliena, ortus & sanguinis alieni nota. Sap. III. 16. 17. *Filii adulterorum non consequentur perfectionem* (non initiati erunt, *אַתְּלָסָא עֵשְׂאִי*) sed semen ex illegitimo concubitu delebitur. Vide etiam Eccl. XXII. 32. 33. Comminatione hac & vindicta DEUS tuetue castitatem, statumque conjugalem, dum fræno velut injecto vagas corripit libidines. Verum enim vero cum virtutes nec ad certum statum, nec sexum, nec conditionem sint alligatæ; neque lex illa Deut. XXIII. 2. de spuris in societatem Ecclesiæ & reip. admittendis sit præscripta DEO, (qui, ut heroicæ virtutis est causa principalis, ita supra omnem legem) sed hominibus, & quidem quoad modum ad sociandi spurios *ordinarium*, non vero *extraordinarium*, secundum quem DEUS ita gubernat regna mortalium, ut omnibus demonstrat, sibi omnes, & omnia subesse, se nemini unquam subesse. Exemplum de spuris satis est notum, de *Jephitha*, si modo spurus erat, quod tamen aliis excursions

dum relinquimus, Jud. XI. 70. 32: ibi enim dicitur, quod DOMINUS dederit filios Ammon in manus ejus. Profana exempla sunt Themistocles, Timotheus, Romulus, Remus, alii. Vid. Zwingerum in Theatro. Hæc de spuris ex Vendelino subnectimus: *Causæ excellentiæ hujus in spuris nannullæ sunt partim divinæ: quia uti excelsa quandoque DEUS deprimit, sic humilia extollit, pro arbitrio: partim naturales: quia spurii genitores quandoque habent vegetos, validos, & magnanimos: partim Ethicæ: quia & natalium obscuritate & macula elutari per virtutem & rerum arduarum molitionem student.* Tantum de illa Quæstione.

QUÆST. V.

Utrum veritatis cœlestis, & yvnoic Christianæ, quæ sola ac unica est Apostolica & Lutherana, confesores imperterriti, & vindices constantissimi, sint Heroës jure suo nominandi? Aff.

§. VII.

Heros est, quisquis impetu extraordinario (non naturali, sed divino) constantia summa, (qualis in confessoribus, &

Theo;

Theologis Lutheranis, religionis Apostolicæ assertoribus semper per divinam gratiam erat, eritque, longe lateque testata) & *felicitate admiranda*, magni aliquid molitur & efficit. Felicitate, inquam, illa, quam non modo temporalem, sed simul æternam adpellamus; quæ tanta est, *ut porte inferorum ei non prevaleant*. Matth. XVI. 18. Talis Heros seculo superiori fuit B. Doctor Apostolicus, LUTHERUS, qui & veræ religionis, dicamne repurgator, an propugnator, nescio (utrumque enim præstitit) fuit acerrimus, & domitor Papatus plusquam Hercules; quem tamen *Papicola, Calviniani*, aliique, quos miser ille mendacii spiritus dementavit, convitiis proscindunt, calumniis onerant, odioque prosequuntur plusquam Vatiniano; quamvis ipse supra omnia diaboli tela jam dudum sit erectus, & de heroica cœlestis veritatis defensione agat triumphum. In B. D. *Luthero* fuerunt omnia, & plusquam omnia, quæ in Herœe, & Viro Divino, requiruntur. (a) *Afflatus divinus*: fuit enim donis admirabilibus & pene divinis instructus: quod arguunt, singulare ejus ingenium, acutissimum judicium, pe-

ritia linguarum summa, admiranda eruditio, singularis in interpretandis Scripturis dexteritas, maximaque in iisdem vertendis felicitas. Sic vel exempli loco Versio Bibliorum Germanica, quæ satis superque arguit peculiarem Spiritus SANCTI illuminationem, largamq; in VIRO isthoc DEI JESU CHRISTI gratiam. *Franciscus Dryander*, Hispanus, Vir, ut ferunt, doctissimus, sæpe ex animo linguæ Germanicæ cognitionem ideo optasse dicitur, ut Germanica *Lutheri* Biblia, toties a multis excellentibus viris commendata, ipsa etiam & legere & intelligere posset. Nec dubitavit *Erasmus Roterodamus* asserere, *LUTHERI* Enarrationes in sacra Biblia enarrationibus omnium, quæ exstant unquam, antecellere. (B) *Spiritus constantissimus* animusque fortissimus: tanto enim Zelo, mundo fere toto frendente, inter præsentissimas mortis minas, publice coram *Carolo V.* Imperatore, omnibusque totius Imperii Romani Proceribus, rationem fidei suæ reddidit, adeo, ut hic Papatu dominator Heros fuerit ante Comitium Vormaticensia, Heros in Comitibus, Herosque post eadem permanferit. Vid. *Sleid.* alios. (y)

Successus longe felicissimus reformationis a Luthero suscepta. Neminem crediderim sine admiratione & stupore mentis lummo posse cogitare, quod misellus ille Monachus religionem vere Apostolicam, nulla vi externa, sed armis spiritualibus, per Germaniam, & regna simul septentrionalia, Sveciam ac Daniam, ita propagarit, ut ultra illorum limites jam longe lateque sparsa in honorem DEI resonet, contra furores Diaboli, inanes Papæ crepitus, minasque regni antichristiani plusquam horrendas. Testatur hoc ipse Tom. VII. Witeb. Lat. fol. 507 in Epist. ad Elect. Frider. & fratrem, his verbis: Oppugnavi me, inquit, summis viribus totus orbis terrarum, ac tamen quo fuit ipsorum omnis impetus vehementior, eo facit majores progressus doctrina mea. Quid ita? Nihil ego violenter egi, nullum motum excitavi, non cupidus vindictæ fui; sed Magistratum civilem reverenter colui, scriptis etiam meâ exornavi, quantum in me fuit; & quod præcipuum est, rem DEO committens, in ipsius potentia totus acquievi. Sic adeo servatus sum in hunc usque diem, fremant licet Pontifex omnesque adversarii; & simul mea doctrina multos
ad

ad populos dimanavit. Quis jam de Affirmativa Quæstionis ambiget? Ita B. Cyprianus constantissimus erat Heros, in amplectenda, defendenda, propaganda, & sanguine suo tandem obsignanda JESU CHRISTI fide: ille enim postquam illum de recripto Imperatoris *Valeriani*, & *Xisti* martyrio, nuncium accepisset, ad fidei *ἀγῶνα*, quem jam jam instare animadvertēbat, subinde magis magisque se composuit. Sic enim in vita ejus scribit Pontius: Jam de *Xisto*, bono ac pacifico sacerdote, ac propterea beatissimo martyre, ab urbe nuncius venerat. Sperabatur jam jamque carnis veniens, qui devota sanctissima *ultima* colla percuteret: & sic erant omnes dies illi quotidiana expectatio moriendi, ut corona singulis posset adscribi. Conveniebant interim plures egregii & clarissimi ordinis & sanguinis, sed & seculi nobilitate generosi, qui propter amicitiam ejus antiquam secessum subinde suaderent: & ne parum esset nuda *spadela*, etiam loca, in qua secederet, offerebant. Ille vero jam mundum, suspensa ad cælum mente, neglexerat, nec *spadelis* blandientibus

annu-

annuebat. Fecisset fortasse tunc etiam, quod a plurimis & fidelibus petebatur, si & divino imperio iuberetur. Sed nec illa sublimis tanti veri gloria sine praconio transeunda est, qua jam seculo tumescente, & de fiducia Principum infestationem nominis Christiani anhelante, ille servos DEI, prout dabatur occasio, exhortationibus dominicis instruebat, & ad calcendas passiones hujus temporis, contemplatione superventura claritatis animabat. Videlicet tanta illi fuit sacri cupido sermonis, ut optaret, sic sibi passionis vota contingere, ut, dum de DEO loquitur, in ipso sermonis opere necaretur. Ita Pontius. Factum est inde, ut, cum Galerius Maximus Proconsul decretum ex tabella sanguinatum recitaret: *Thascium Cyprianum gladio animadverti placet*; ipse Cyprianus Episcopus responderit: *DEO gratias!*

§. VIII.

Restant adhuc nonnullae Quaestiones, utpote (VI.) An exitus Heroum queant dici infelices? Resp. Tristes siquidem infelices esse, vel etiam videri, Heroum exitus testatur experientia. Exemplo sint

52.

Samson, Jofias, Salomon, Cyrus, Alexander, Julius Cesar. Ast hic tenendum, quod exitus Heroum ex *intentione DEI*, illos peculiari quadam & divina vi armatis, nunquam sint, aut dici possint, infelices; cum DEUS nunquam sine sibi proposito excidere queat; sive ipsi Heröes in exercitio actionum suarum occumbant, sive fraudibus & iniqua vi circumventi e dignitatis suæ fastigio dejiciantur, sive tandem qua corporis membra lædantur. Verum infelices dicendi sunt, quando per vehementes animorum impetus extra rectæ rationis orbitam profiliunt; & in miseriarum abyssos semetipsos præcipitant, puniente scilicet DEO illorum insolentiam. Hüc infelicitati non parum ponderis addit magnitudo invidiæ, quam virtus magna semper habet comitem. *Difficilimum*, inquit Sallustius, *inter mortales est, gloria invidiam vincere.* De iniquitate invidiæ acerbè conquestus est olim fortissimus *Belisarius*, qui ob invidiam, jussu Imperatoris *Justiniani* excæcatus, eleemosynam ab aliis petere coactus est: *Viator da obolum Belisario, quem virtus extulit, excæcavit & ad summam paupertatem adigit invidia.*

S. XI.

Quod attinet ad *Quæstionem* (VII.) Cur
 herôes, dum peccant, peccent gravius
 quàm homines vulgares? Facile erit eam
 solvere, dum quis respexerit (*α*) ad *objectum*
 actionum heroicarum, quod procul omni
 dubio magnum est & arduum; (*β*) ad *In-*
strumenta ejusmodi actionum edendarum,
 quæ & *naturalia* & *accessoria* magna sunt.
 Quia magna agunt, inquit *Dn. D. Rudrauf-*
fus, a quibus si deficiunt, in majus ma-
 lum incidunt, & majorem committunt
 excessum, majori bono Oppositum. Quid
 ergo mirum, si in ipsis verum esse incipiat
 illud vulgatum: *Tolluntur in altum, ut*
lapsu graviore ruant. Addit laudatus
 auctor: *Et licet lapsus in se, & ratione*
substantiæ non sit, gravior, quam alio-
rum, reputatur tamen major ratione sub-
jecti & inexistentia. Dux potissimum
 sunt causæ, inquit *Dn. Vendelinus*, cur
Heroes dum impingunt, gravius impin-
gant? (*α*) Quia impetus heroicarum natu-
 rarum sunt magni, & virtutis communis
 mediocritatem excedunt, sic & æquum ex-
 orbitantium modum communem. (*β*)
 Quia circa objecta versantur magna &
 ardua

ardua, unde & magnis excidunt ausis;
& non leviter impingunt, qui non levia
moliuntur; cadunt non molliter, qui im-
petu magno feruntur. Hæc ille.

SECTIO III. ἀξιοματικὴ.

- I. Tria faciunt Heroem: *Afflatus* divinus, *summa constantia*, *admiranda felicitas*.
- II. Motus Heroici sunt vasti impetus, qui superant communes humanæ naturæ vires.
- III. Sæpe vir heroicus, quem DEUS singulari numine afflavit, per-rumpit & frangit regulam; sed non post se relinquit. Luther.
- IV. Virtus Heroica non est humana, sed divina.
- V. Heroës, quo rariores, eo cariores.
- VI. Heroës consequuntur fortunam, non per otium, sed negotium.
- VII. Heroem filii noxæ, saltem ex accidenti.
- VIII. Heroës sunt pennati.

CAP.

Pereximie DN. RESPONDENS:

Est Virtus Heroica omnium virtutum
informatus absolutissimus, quo animus cum
decoratur eo splendore, ut nihil admirabilius in
toto terrarum orbe, nihil praestantius, nihil
speciosius inveniri queat? Haec est illa Virtus, per
quam purpurati Martyres properarunt ad
laurum, qua in sublimi posita, generosos ani-
mos ad labores, persecutiones, imo ipsam mor-
tem inditabat. Quot Patres Ecclesia, caelestis
duces Veritatis, dum prima Ecclesia fundamen-
ta jacerent, lege perpeffos, affectos contumeliis,
obfessos castris & carceribus, morte multatos,
& demum ipsa internecione casos fuisse novi-
mus. Per hanc Reges, illa columnina imperio-
rum, gloriosissima sua nomina fama aeternita-
tis consecrarunt. Per hanc virginum agmina,
calcatis mundi Voluptatibus, ad aeterni sponsi
thalamum festinantia, pudicitia coronâ splen-
duerunt. Per hanc contenderunt conjuges, &
reportarunt castitatis & sanctimoniae fructum,
quotquot olim generosos animos, hausto de
caelis semine progenuit Terra, nunc peracto
vite spacio, in virtutum omnium domicilio
fulgidissimo triumphantes, Heroem aeter-
num

num, Creatorem Universi, Salvatorem
mundi, laudant, celebrantque. Finxit te,
Dn. GESTRINI, ipsa natura ad honestatem:
ergo nulla te vicit immoderata cupido: Vino
copioso te nequaquam madefecisti, nec fra-
grantioris libidinis unguento aliquod proluvi-
um suscitasti. Grassatores Urbani, quorum
depravata cohors hoc tempore, quavis fere
nocte, praeceptis in flagitiorum voraginem ra-
pitur, te à Virtutum semita haudquaquam
traxerunt; neque Mulierum & Virginitatis ad-
ulterina collegia, illa pulchritudinis miracu-
la, monstra castitatis & verae salacitatis
prodigia, oculos tuos ad se convertere potue-
runt; quorum tamen unicum est hoc, tam
libidinoso seculo, non tantum fervidorum
juvenum, sed etiam plerorumque gelidorum
senum pectora jucundo vulnere sauciare. At
humaniorum studiorum indefesso labore, ho-
norem & laudem quae susti, dum spretis ejus-
modi inquinamentis, argumentum hoc nobi-
lissimum, ob gravitatem rerum, stylumque ve-
re eruditorum, à tanto Academiae nostrae
lumine, juxta morem judicio ingeniosissimo
conscriptum, in Cathedra publica defenden-
dum suscepisti. Animus hisce diebus variis
agita-

agitatus curis, dum per divinam clemen-
tiam quasi in itineris procinctu ad Both-
niam Orientalem constitutus sim, plura
non admittis verba, quibus gratulabunda
mentis testimonium erga te ostenderem: quam-
obrem multitudinem votorum piâ brevita-
te constringens, opto sincere, quò virtutis a-
spans vivas, ut totus confido, literatorum
splendor, Virorum gloria, tui tuorumq; de-
cus & gaudium! Vale!

DANIEL HAGERT.

Dum utilitatem artium liberalium necessi-
tatemq; pondero, potissimum ad illas pietate
cum diligentia requiri deprehendo; quip-
pe quæ multarum prosperitarum sunt causa. E-
contra verò negligentia multa ex se mala &
pericula gignit, quæ (proh dolor) hoc tempore
apud plerosq; multum invaluit; utpote fucos
illos seu licentis alumnos, potius otii devinctos,
somnia addictos, voluptatibus deditos, vitii in-
totum adstrictos, deq; farciendo ventre magis
quam libris sollicitos. Hæc omnia Tu, Du. Sym-
patriota, evitasti, ætatem tuam in otio non de-
gisti, ac alia ista inutilia terra pondera;
sec. 2
p. 9
si
hæc
p. 10
studii tuis incubuisti, Deumq; sem-
culos habuisti. Perge itaq; in propo-
nitesq; hoc in stadio suda, fore iter
lestrâ contende, ut via tibi ad jugum
& exemplum Minervæ pandatur. Vale.
ERIC. ALBOGIUS, J. F. Borgo Nyl.

Ornatissime Dn. Sympatriota,

Affatim in hoc sublunari globo, orbisq; ve-
lubilis amphiteatro constat, nihil stabile
reperiri, & fortunam, cæcæ Dominam, ipsam
suam esse inconstantiam: quippe cui hodiè sereno
vultu arridet, eidem facillime die castino
novercam se exhibet. Cuncta itaq; quum gran-
di metamorphosi subjecta sint, nemo confidat
nimium secundis, nemo desperet meliora lapsis.
Hanc ipsam fortunæ acerbitatem Te, *Perexi-
mie Dn. Patriota*, etiam degustasse scio: sæva
namq; mors abrepto ab hisce ærumnis Patre
germano, qui tuum Matrisq; viduæ refugium
unicumq; solatium erat, omni Te privavit sub-
sidio: nihilominus cum egestate spinosa,
licet aliquantulum luctatus, indies tamen ad
altiora Te niti luculenter ostendis, ut maxi-
mam de te capiant spem Præceptores, Cognati
ac amici solatium atque gaudium; præsertim
nunc, dum materiam satis illustrem, (Virtutem
scilicet Heroicam) Præsidi Percelebri, defenden-
dam tibi assumpseris. Adsit tibi favor Jehovæ, ut
studia tua optimè incoata, felici sidere me-
tam tandem attingant felicem!

JOH. GORSTEEN P. F. H. *no. 91.*



*nosse
deser
us l
a*